
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

H. IORDANI

QVAESTIONES CRITICAE

COMMENTATIO EX INDICE LECTIONVM IN REGIA VNIVERSITATE ALBERTINA PER AESTATEM A. 1886 HABENDARVM SEORSVM EXPRESSA

REGIMONTII

A. 1886

PROSTAT IN OFFICINA HARTVNGIANA

I Ciceronis orationes quibusnam quasi stirpibus rivulisve divisae a quinto inde sextove saeculo ad decimum quintum propagatae sint, ei quaestioni inter tot homines doctos, qui quotannis orationum istarum unam quamque cumulis criticarum observationum obruunt, ne unus quidem videtur animum advertisse. quod quidem mireris, cum praesertim magnus Niebuhrius annis abhinc sexaginta quinque editionis orationum antiquae per litteras digestae vestigia in codicis cuiusdam saeculo quinto sextove scripti reliquiis servata egregio acumine monstraverit. quodsi, alia ut silentio praeteream, Terentii fabularum memineris duplici ἐκδόσεως ratione evulgatarum, per litteras digestarum et secundum temporum ordinem, sane par erit amplius quaerere, an fuerint qui eodem consilio tullianas orationes publicarint. at enim extant apographa duo antiqui nisi fallor corporis cuiusdam orationum aliquot temporum ordine dispositarum, parisinum illud orationum decem, quod Halmii docta indagine inclaruit, scriptum saeculo nono, et bruxellense, quod his decem orationibus tres alias addidit, scriptum saeculo duodecimo. ac decem quidem illae orationes habitae sunt omnes annis varr. 697 et 698; praeter eas quae his annis habitae sint novimus duas, alteram, cuius unicam mentionem Tullius servavit ad Quintum fratrem 2, 3, 6, orationem pro Bestia — quanquam an umquam inter orationes evulgatas fuerit dubium est — alteram de rege Alexandrino, cuius licet et ἀποσπασμάτια non nulla extent et codicis antiqui cuiusdam fragmentum, tamen iure meo videor mihi suspicari memoriam iam vergente imperii romani tempore paene antiquatam esse: ut certum videatur esse orationum per ordinem temporum digestarum volumen unum illud integrum ad nos pervenisse. atque huius quidem orationum corporis exemplum ei, unde parisinus liber descriptus est, paene gemellum nactus est is qui bruxellensem librum exaravit: et nactus est idem orationum de Marcello pro Ligario pro Deiotaro, hoc est Caesarianarum orationum, quas antiquo tempore seorsum editas esse constat, exemplum. quo facto evasit illa orationum tredecim diversis temporibus habitarum sylloge. nam hoc quidem omni est dubitatione exemptum, bruxellense decem illarum orationum exemplum non esse e parisino descriptum; esse ex archetypo, quod libri parisini archetypo cognatum fuerit, pro certo me habere

dixi. quanquam siquis utrumque codicem eodem ex archetypo ductum esse contenderit, non graviter adversabor: adversabor eis, qui libris post saeculum duodecimum scriptis ad orationum illarum decem textum restituendum aliquid ponderis attribuant. qua de re in ea oratione, ad cuius et naevos aliquot emaculandos et nodos solvendos nunc propero, orationem de domo dico, potuisse dubitari vix credideris. sunt tamen qui, faece illa e wolfenbuttelano similisque farinae schedis neotericis conlecta saltem aut, quod ferendum est, licet irritum sit, depravationis sensim progressae historiam utiliter inlustrari sibi pessuaserint, aut, quod ridiculum est, testimoniis codicum parisini et bruxellensis ista infimae sortis aliquatenus exaequanda esse existiment. sed haec quorsum pertineant ipsorum illorum quos dixi naevorum nodorumque edissertatio abunde docebit.

Incipiam ab eo loco quo Tullius, quibus et senatus consultis et legibus publicis in integrum restitutus sit, breviter perstrinxit. sic igitur Clodium ille adloquitur 33, 87: *in me, qui profectus sum integer, afui simul cum re publica, redii cum maxima dignitate viro fratre tuo altero consule reducente, altero praetore petente, tuum scelus meum probrum putas esse oportere?* sic parisinus: at in bruxellensi *ducente* legitur, in uno interpolatorum idem illud quod habet parisinus, in aliis vel *dicente*, quod a lectione bruxellensis detortum est, vel *detinente*, quod coniectura fictum est eaque absurda. iam primum apparet bruxellensis libri lectionem vitiosa vocabuli antecedentis *reducente* iteratione ortam esse: nam utcumque de re ipsa iudicabitur, sensu sententiaque carere illud 'reduxisse' alterum, alterum 'duxisse' nemo negabit. quare et qui antiquitus hanc lectionem coniectura refinxere scribendo *dicente* et qui his temporibus scribendo *non contra dicente*, ei prorsus de via deflexisse censendi sunt, contra recta perrexisse, qui parisini codicis scripturam immutandam sibi sumpserunt vel *patiente* scribentes, quod Manutius commendaverat cum aliis tum Garatonio atque Drumanno 2, 187 adn. 36, quos nuper sectatus est Rueckius programmatis de oratione illa monacensis a. 1881 p. 30, vel quod novissima Tullii exempla teubneriana occupavit, *quiescente*, aut, quod ab his tentamentis toto ut aiunt caelo distat, *repetente* vel *referente*. nil dico de his coniecturis, quas ultimo loco rettuli: quarum causam me latere ingenue fateor. ad illos me converto, quibus facem praetulit Manutius. scilicet, ut verbis Rueckii utar, '*petente* nullo modo ferri potest, nam ex Sest. c. 40 et Pis. c. 15 intellegitur Appium Pulchrum fratrem Publii a nullo petivisse ut Cicero reduceretur.' itane vero? Pisonianae haec sunt verba: *de me cum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei praeterque duos de lapide emptos tribunos, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus* c. q. s. idem brevius significatur in oratione Sestiana. at huic legi, quae lata est prid. non. Sextil. teste epistula ad Atticum 4, 1, 4 conl. Sest. 63, 131, praecesserant senatus consulta duo, quorum prius teste Pisoniana 15, 34 kal. Ian. factum est in templo Iovis optimi maximi, alterum insequente die in curia teste Sest. 61, 129. iam audi quomodo illud factum sit: *quo quidem die* — verba sunt gratiarum actionis in senatu 10, 26 — *cum CCCXVII senatores essetis, magistratus autem omnes adessent,*

dissensit unus, is qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. apparet igitur primum tam ex his verbis quam ex similibus orationis de domo 6, 14 unum P. Clodium dissensisse a relatione P. Lentuli consulis legem de reditu Ciceronis rogandam esse censentis, deinde, id quod videtur sensisse Drumannus 2, 295 adn. 38, licet Manutii coniecturam alio loco probaverit, fuisse Ap. Claudium praetorem inter adsentientes, siquidem teste gratiarum actione *magistratus omnes* in senatu adfuere. quare etiamsi non fuerit inter magistratus eos, qui legem illam comitiis centuriatis promulgaverunt — quod non postulandum fuisse Cicero in Pisoniana verbis indulgentissimis testatus est — tamen fuit inter eos, qui reditum Ciceronis a populo petendum esse in senatu censuere. vides quo iure illud *petente* ferri non posse Manutius contenderit: petierat Ap. Claudius reditum cum senatoribus CCCXV, unus non petierat, P. Clodius. quare cum falsi sint omnes, qui hoc vocabulum coniectura in contrarium converterunt, de ipsis coniecturis plura dicere supervacaneum est: nisi quod scire velim, quibusnam artificiis id, quod textum operum tullianorum novissimum occupasse dixi, *quiescente* in formam vocabuli *petente* deformatum esse possit. sed utut est: illi omnes dum in scirpo nodum quaerunt vitium verum, quod monstri instar verbis Tullii insidet, inscientes praeteriere.

P. Clodio fratres fuisse duos natu maiores ipso constat, Ap. Claudium Pulchrum hunc, de quo diximus, qui praetor fuit eo anno, quo oratio de domo habita est, varr. 697, consul factus est secundum legem interiectis annis duobus anno 700, et C. Claudium Pulchrum, qui praeturam adeptus est anno 698, qui insecutus est annum habitae orationis, deinde Asiam provinciam anno 699, consulatum non item. quae cum ita sint, quid est quaeso quod Tullius sese redisse testatur Clodii *fratre altero consule reducente, altero praetore petente?* quid igitur? fratremne maiorem P. Clodii in binos homines dissecuisse putandus est Tullius et ita dissecuisse ut consulatum, quem hic duobus annis post assecutus est, futurae fortunae vates ei tribuerit ipso reditus sui anno? audio reviviscere wolfianum illud 'nempe haec animum huius scriptoris non tetigere'. ergo plaudite, Quirites. mihi, qui numquam dubitavi quin oratio de domo inter genuina M. Tullii opera dexteritate argumentationis et elocutionis mira vivacitate primorem locum obtineat, ad eruendum librariorum errorem, monstri illius causam, confugiendum est. supra dixi in codice parisino verba nostra sic scripta legi: *redii cum maxima dignitate vivo fratre tuo altero consule reducente, altero praetore petente.* et ita leguntur scripta praeter id de quo absolvimus in bruxellensi apographisque omnibus recentibus, quibus me omnem fidem derogare supra significavi. nescio quis primus editorum invexerit voculam *te* ante *vivo* vocabulum: hoc videor mihi intellegere omne loci acumen inserto eo perire. nam vivo Clodio quod urbem intravit Cicero, quid facit ad demonstrandum id quo de agitur, non magis Ciceroni quam aliis inimicorum iniuriam probro esse posse? nec defuit qui id sentiret: sed quod reposuit ille, *invito,* vel propter vocabuli sensum depressum in eo oratoris contra illud *caenum, portentum, scelus* — sunt enim ea Ciceronis 18, 47 — furore effrenato nullo modo posse ferri sponte apparet. sed omisso hoc hominis parum acuti emblemate si eiectis eis, quae

propter rerum gestarum memoriam a contextu aliena esse demonstravi, sic refinxeris verba corrupta: *redii cum maxima dignitate, vivo fratre tuo altero, altero praetore petente,* sententiam restitueris et chiasmi atque gradationis figuris opportunis commendatam et suopte pondere ab omni suspicione defensam. hoc enim Tullius dicit, redisse se non solum vivo fratre altero, hoc est reditum inspectante, verum etiam altero, quatenus id ei licuerit — et memineris permitium, de quibus dixi, excusationis in Pisoniana verborum — eundem promovente. nec mirum est profecto quod haec vetus aliquis lector, cui fratrum P. Clodii nomina et dignitates per nimbum obversarentur, in eum modum ampliaverit: mirum est quod tot viri rerum sententiarumque periti tale monstrum patienter tulerint.

Glossemata pauca parisini codicis archetypo irrepsisse scio: alterum quoddam indicasse sathabeo, quod deturpavit orationis verba haec 14, 36: *nego istam adoptionem pontificio iure esse factam: primum quod eae vestrae sint aetates, ut is qui te adoptavit vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit vel eo quo fuit; deinde quod causa quaeri solet adoptandi* e. q. s. detrahe illa, quae nullis machinis ad sanam rationem revocaveris, *vel eo quo fuit.* nempe particulae *vel* ante *filii* insertae vis lectorem aliquem item antiquum fugerat vocabula singula frequentius inrepsere: veluti nisi fallor in illis 19, 49 *cuius* — de lege clodiana agitur — *quam quisque partem tetigit digito voce praeda suffragio* cet. digito, voce, suffragio aliquid tangere quid significet scio, quid praeda non item: memor erat qui *praeda* inseruit antecedentium illorum 18, 48 *postremo ne in praedae quidem societate mancipem aut praedem* cet. sed amplius id genus vitia persequi nunc omitto.

Transeo ad alterum quendam locum ad quem restituendum pariter atque in eo, de quo supra absolvi, rerum memoria paulo curiosius recolenda est. et scio me manum spinarum densissimarum nodo inserere. sunt verba omnium consensu corrupta haec 16, 43: *fueris sane tribunus pl. tam in iure quam lege, quam fuit hic ipse Rullius* (ita parisimus m. secunda et bruxellensis: *ullius* ille manu prima) *vir omnibus rebus clarissimus atque amplissimus: quo* (*qui* P) *iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti?* apographorum interpolatores alter *non tam in iure quam lege* idemque paulo post *tullus*, alter ibidem *tulius* tentavere coniectando. ac de nominis quidem emendatione postea videbimus: in primore enuntiati parte illa *tam in iure quam lege* sensere multi iniquo cursu defluere. ego neque cur Stephani illud *tam iure legeque* neque cur hoc Halmii, quod fuere qui quam maxime comprobarent, *tam iure atque etiam lege* improbem, edisseram: verbo indicabo quid unice verum sit, *tam iure quam lege,* scilicet detractata praepositione tribus hastulis, quae ex praecedente *m* proserpsere, consistente. sed unus inventus est Lambinus, qui ea quoque quae insecuntur parum apte procedere, persenserit: nam quo *quam* illud alterum pertineat, neque dixit quisquam neque erit qui valeat explicare. quare laudandus est ille quidem, quod scribendo *tam iure tam lege, quam* concinnitatem orationis solito acumine ingenii quadamtenus restituerit: non laudandi siquid video, aut ille cuius tumultuosum inventum ultimus Ciceronis editor textui ipsi inseruit hocce, *tam fueris, inquam, lege,*

quam fuit e. q. s., aut qui his similia excogitavit Langius spicilegii critici, quod editum est inter programmata universitatis lipsiensis a. 1881, p. 13. s., longe illa quidem istis tumultuosiora, *optimo iure tam fueris, inquam, lege, quam fuit* e. q. s.; nisi aliqua certe ex parte videtur laude dignus esse, qui inter ipsos hos verborum sursum versum permistorum tumultus hoc saltem intellexerit, iuris verbo nullo modo carere nos posse. neque vero ignoro quid huius viri docti, quem litterae lugent, iudicio meritisque tribuendum sit. sed ne multa: tam formae quam sensus impedimenta facillime sustuleris, si addita literula una scripseris, *fueris sane tribunus pl. tam iure quam lege; quam tulit Rullius* e. q. s. scio me contra communem hominum doctorum consensum legis curiatae de arrogatione P. Clodii latae auctorem novum prodere. nam si Drumannum audias 2, 223 de hac lege disputantem, quem ceteri omnes secuti sunt, non Rullium illum sed Caesarem tulisse de arrogatione illa certo constat. sed circumspicienti mihi testimonia eius rei fida, nullum invenio. quinimmo quo solo ibi usus est ille, tulliano epistularum ad Atticum 2, 12, 2, eo plane contrarium probari mox apparebit: alterum cuius meminerat idem 1, 539 adn. 31, Suetonii verba vitae Caesaris c. 20, quo loco censendum sit, statim videbimus. is enim cum dixit *Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum statum P. Clodium inimicum eius, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die horaque nona transduxit*, si solus rem suapte natura probabilem adsereret, fide dignus esset habendus; quod contra cum talia testando ipsius Caesaris testimonio adversetur, eximendus erit e testium fidorum numero. nec mirum: quis enim exempli causa eidem testanti c. 54 crediderit, eique soli, Caesarem *in primo consulatu tria milia pondo auri furatum a Capitolio, tantundem inaurati aeris reposuisse,* de quo genere malivolarum fabularum a Suetonio propagatarum idem Drumannus 3, 220 s. rectissime iudicavit. Caesarem citavi testimonii suetoniani adversarium gravissimum. haec enim scripsit Cicero ad Atticum l. s. s. conl. ep. 10: Cerialibus a. varr. 695, sive a. d. XIII kal. Mai., Curionem sibi ex Antiati in Formianum proficiscenti in ipso itinere ad Tres tabernas occurrisse: *ille ex me nihilne novissem novi? ego negare. Publius, inquit, tribunatum pl. petit. quid ais? et inimicissimus quidem Caesaris et ut omnia, inquit, rescindat. quid Caesar, inquam? negat se quidquam de illius adoptione tulisse.* iam potuisse Caesarem negare rem omnibus eis notam, qui comitiis illis curiatis praesentes interfuerant, id vero siquis contenderit, rem paene ridiculam commentari videatur. quasi vero comitia illa, licet contra legem Caeciliam et Didiam omisso trinundino habita sint, potuerint omni actorum ceterarumque rerum, quibus in tali re opus erat, adparatu legitimo carere. negaverat igitur Caesar *se quidquam de illius adoptione tulisse,* et negaverat propterea quod partes quaedam in adornando hoc negotio per ora urbanorum grassatorum ei tribuebantur. neque vero hoc quaerimus an fuerint re vera: nam quis negaverit auctorem fuisse Rullio Caesarem legis ferendae? tulisse Caesarem legem illam non posse, ipsius testimonio luculento constare aio.

Rullius nomen traditur ex archetypo: nam quod parisini scriptor vitiose *ullius* dedit,

dein *rullius* emendavit, emendavit ut saepius inspecto iterum archetypo; *Tullus, Tullius, Rullus, Villius* tentavere certatim interpolatores apographorum nostrique philologi. sed *hic ipse Rullius* quin in numero pontificum praesens adfuerit, quoniam dubitari nequit, recte fecere qui nominis restitutionem a catalogo pontificum eorum, quos Cicero orationis de harusp. resp. 6, 12 interfuisse causae suae auctor est, repetendam esse existimaverunt. fuere autem in consilio pontifices hi n. XIII, *P. Lentulus, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messalla, P. Galba, Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Crassus, C. Curio;* aberat rei publicae causa Caesar, C. Pinarius Natta cur afuerit, adhuc dubitatur. inter illa autem nomina unum facillime *rullius* lectioni substitui posse, *Servilius* nomen, cum praesertim quod praecedit vocabulum *ipse* omittendae syllabae primae causa fuisse possit, et Halmius agnovit, quem id nomen in margine exemplaris sui adscripsisse auctor est Rueckius p. 24, et Langius p. 22 opusculorum supra citatorum. hunc P. Servilium Vatiam Isauricum cos. a. varr. 675 plebeium fuisse constat: quare interesse eum non potuisse curiatis illis comitiis erunt qui nunc quoque sumant; qui secus fecerint, quorum ego sectam sequor, nescio an concesserint tulisse legem illam curiatam de P. Clodio inter plebeios asciscendo.

Et quoniam P. Clodius plebeius in causa est, in harum observatiuncularum criticarum capite extremo tangam quaestionem quandam ne ipsam quidem a librariorum arbitrio plane alienam eamque ne a rerum quidem romanarum summis arbitris convenienter tractatam, nimirum Drumanni nostri 2, 200 arbitrio captis. *Clodius* igitur nomen illius quod vulgo scribitur, et recte videtur scribi — qua de re infra dicam —, *Claudius* filii nomen in ipso sepulcrali huius titulo nunc parisino CIL 6, 1282, nego posse repeti ab ea quam fingunt temporum illorum in scribendis nominibus libidine, quam nullam fuisse inter homines primae classis, sensim evagatam esse inter plebem demonstrare possum. nihil igitur ad P. Clodium Claudiorum patriciorum gentilem, quod in titulo a solo Fabrettio 560, 70 servato *Claudia P. f. Severa* mater et *Clodia Thais* filia nominantur, plebei hae quidem generis, cuius historiam tituli sepulcrales Clodiorum urbani plus CC amplius mox inlustrabunt. nec quicquam de patricii illius nominis scriptura mutaretur, si verum esset, quod coniectura nititur, Clodiam Athenaidem *Clodi Pulchri l(ibertam)*, cuius extat titulus senensis CIL 1, 1043, libertam esse Claudii Pulchri, de quo dixi, P. Clodii filii. scilicet ad plebeiam scripturam quod femina quae Claudii illius serva aliquando fuit descendit, non mirum est. praeterea verbo moneo Caelios Coelios Sestios Sextios Plautios Plotios, qui sexto septimoque floruerint saeculis, diversarum fuisse gentium filios ac ne P. Quinctilii quidem cos. a. varr. 741 nomen omissa *c* scriptum in amphora esquilina — de quo dixi Hermae ab Huebnero editi 15, 538 — ipsi deberi, verum tituli illius pictori plebeio. et haec quidem omnia spero fore ut brevi tempore a iuvene quodam docto ampliore argumentorum apparatu enucleatius demonstrentur. de P. Clodio ego equidem ita sentio: non casu factum esse ut nomen eius in plebeiam, quae tunc maxime provenerit, formam abierit; consilio autem si ipse eam secutus sit contra consuetudinem communi nobilitatis consensu tunc sanctam, vix

quicquam relinqui, nisi ut statuamus mediam eum quandam viam inter morem antiquum et hominis, qui a patricia in plebeiam gentem transierit, officium legitimum tenuisse. nam quod P. Fonteii, a quo adoptatus est, nomen respuit, sane permirum est: quodsi plebeia patricium nomen scribendi ratione se a patriciis descivisse significasset, longe id quidem minus mirum mihi videretur esse. denique scio superesse tenue vestigium *P. Claudius* scripturae in codice aliquo manu scripto servatum: quod tamen nihili aestimandum putaverim in ea *P. Clodius* scripturae testimoniorum multitudine et gravitate. similiter actum est in scribendo nomine legis Plautiae de vi: nam *Plautia* cum traditum sit in codicibus Gai, Digesti, Asconii (ubi *plantia* Sozomeni apographum), scholiorum bobiensium, Sallustii (ubi *plauscia* parisinus optimus), declamationum Ciceronis contra Sallustium et invicem, *Plotia* nisi quid me fugerit in solis epistularum tullianarum 8, 8, 1 et in milonianae 13, 35 deterioribus — nam in palimpsesto taurinensi vitiose scribitur *p. clodi* — quis quaeso horum librariorum errorem illorum diserto consensui anteposuerit?

II Taciti Germaniae codices manu scripti qui extant qua inter se societate coniuncti, quo stemmate ab origine communi propagati sint, nunc quoque miro virorum doctorum dissensu disceptatur. in quo dissensu fateor me inde a principio eorum sententiam esse secutum, qui primas partes leidensi vaticanoque n. 1862 tribuebant, secundas vaticano alteri n. 1518, exiguas ceteris. ac ne nunc quidem paenitet me huius sententiae, postquam et Muellenhoffium, virum incomparabilem, ab ea paene descivisse Waitzius nos docuit libri de veterum Germanorum re publica editione tertia 1, 511 et certatim viri doctissimi, Holderum dico Baehrensiumque, summa imis miscentes a vilissimo quoque, si me audis, apographo salutem petendam esse demonstratum iere. atque Holderi quidem opera hoc certe effectum est, ut qui illam quam laudavi sententiam amplius secuturi sint, ei instrumentum muellenhoffiano non limatius, verum ditius parandum esse sentiant; Baehrensius quos locos ad sustentandam codicis hummeliani auctoritatem valere sibi persuasit annalium philol. a. 1880 p. 266 ss., eorum unus — nam ceteros prorsus aut fallaces aut plane falsa ratione ponderatos esse contendo — negotium facesseret, si quod ille de eo rettulit verum esset. nam *suardones* populi nomen si et in solo hummeliano recte scriptum esset et unice verum esset, at falsum quod in reliquis apographis Henoci Asculani neglegentia propagatum esse dicit *suarines* (p. 267), actum esse de horum fide diceres: quorum neutrum verum est. nam *suardones* Massmannus in libris RbFH extare testatur; de quo nomine cum hoc solo testimonio nobis constet, liceret opinor dubitare an coniectura alteri illi formae quae est *suarines* substitutum sit. verum longe aliter ea de re sentio. scilicet huius loci aestimatio pendet ab aestimatione similium duorum: alterius (ib.), ubi eidem libri praeterquo eos massmanniani Rd Rc pro vitiosa optimorum *in commune neithum* scriptura verum illud *in commune nerthum* (*nehertum* Rbf) servarunt, in cuius locum nuper vidimus informe hoc monstrum *Mammun Ertham* succedere; alterius (c. 8), ubi quod et proximo ad verum accedit nec coniectura potest inventum esse, *albriniam* rursus vel paene eidem in ipso tenore orationis vel

ei quos nos optimos esse iudicamus inter versus scriptum exhibent. quanquam quod inde coniectura palmari effecit Wackernagelius, *Albrunam*, fastidivit idem Baehrensius (p. 269), ut dubitem an legerit illa quae Muellenhoffius ephemeridis 'Allgemeine monatsschrift' inscriptae a. 1852, 1, 335 s. de huius instaurationis ratione necessaria egregie exposuit. quare ita sentio de his scripturae discrepantiis: videri *suardones, nerthum, albriniam* lectiones, easque partim veras partim veris proximas, quas grammaticorum saeculi decimi quinti nullus suopte ingenio effingere potuerit, in codice archetypo falsis illis *suarines, neithum, auriniam* aut in margine aut inter versus fuisse ascriptas, repetitas illas iterata lectione ex ipso eo libro, unde archetypum illud descriptum est. quae omnia cum et possint et debeant pluribus a grammaticorum infestorum iniuriis defendi, nunc quidem pauca selegi, quibus quam male habitus sit hic, quem nunc tenemus Germaniae textus, rationibus puto simplicissimis patefaciam.

Incipio a loco decantato, cui solum Franciscum Ritterum — quem scio haud paucis criticae artis magistris eisque primariis visum esse nunquam quicquam recte administrasse — medelam tulisse efficacem mihi persuasi. sunt verba de diis Germanorum c. 9, quae in codicibus leidensi et vaticano n. 1862 sic scripta sunt: *deorum maxime Mercurium colunt cui certis diebus humanis quoque hostiis fas habent. Martem concessis animalibus placant et Herculem; pars Sueborum et Isidi sacrificat.* at reliqua apographa *Herculem ac* (*et* in paucis extare fertur) *Martem c. a. placant*; *pars* e. q. s. Ritterus igitur rescidit illa *et Herculem,* quae verba cum in codice antiquo a lectore quodam alterius de Hercule testimonii c. 3 male memore in margine adscripta fuerint, ab eo qui leidensis vaticanique illius archetypum exaravit textui temere inserta, at a scriptore ceterorum archetypi audaci tentamine sedi aptiori restituta sunt. quam explicandae discrepantiae rationem unice veram esse iudicent oportet, qui duorum illorum codicum praestantiam tueantur. et habent hi quidem quo sese fortiter defendant. nam posse rerum scriptorem latinum quasi uno tenore Herculem testari genti germanicae fuisse inter deos summos et fuisse *primum omnium virorum fortium,* neque Deycksio concedam programmate monasteriensi a. 1854 edito Ritteri placitum impugnanti neque alii ulli. nec quicquam facit ad commendandam id genus ineptiam aut quod Hercules saxanus, de quo dixi ad Prellerum 2, 297, in sinistra Rheni ripa a militibus romanis, qui lapicaedinas ibi exercebant, cultus est — quis enim negaverit haec sacra, si non sint romana, de qua re nunc dubito, esse gallica? — aut quod scriptor Germaniae in eo opere, quod circiter annis octodecim post edidit, libris ab excessu divi Augusti 2, 12 silvam commemoravit Herculi sacram trans Visurgim sitam, nequid dicam de Herculis columnis in ipsa Germania c. 34 commemoratis, quibus cum deo Hercule nihil intercedit societatis. eximendus est igitur e numero deorum germanicorum Hercules conciduntque, quibus germanicorum sacrorum interpretes continuo conflictari videmus, gravissimae in hoc nomine interpretando difficultates. sed nequis de glossematis Germaniae contextui sive adscriptis sive insertis dubitet, alia duo monstrabo quorum alterum omnes adhuc criticos latuit alterum non eum quem flagitamus omnium consensum excitavit. ab hoc incipiam.

Suebicae nationis cultum singularem Tacitus his verbis persecutus est c. 38: *insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. in aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione rarum et intra iuventae spatium, apud Suebos usque ad canitiem horrentem capillum retro secuntur* (an *seducunt?*) *ac saepe in ipso vertice religatur: principes et ornatiorem habent.* ita haec optime procedunt in leidensi, vaticanus ei gemellus veteris glossae vestigium servavit scribendo *solo,* (supra: *ł ipso*) ceteros omnes obscuravit glossa ipsis verbis inserta *ipso solo*, unde quot ortae sint falsae coniecturae, enarrationes perversae, taedet referre. sobrii homines iudicii dum modo in codicum aestimatione non caecuttiant, vix dubito quin intellexerint ipsum verticem partem dici capitis summam, quae sola, ut recte glossator rem expediit, nodi insigne ferat.

Nullum inserti glossematis vestigium superest in verbis c. 18: *nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* fuit qui sentiret admodum inepte dici paucos nobilium *plurimis nuptiis* ambiri; sed *pluribus* dum restituit, videtur idem oblitus esse lumen sententiae in ambiendi vocabulo mire inflato contineri. quare expulso glossemate, quod facile qui paucorum numerum respiciebat, adscripserat, restitue *qui non libidine, sed ob nobilitatem nuptiis ambiuntur;* scilicet poterat dicere, ut saepius, *nuptiis ut ita dixerim* vel *ut ita dicam,* ut locutus est c. 2 — *ambiuntur.*

Ab hac ego et glossematum archetypi et apographorum orsus aestimatione spero me alio tempore, cum instrumentum criticum sufficiens paravero, libri *de origine et situ Germanorum* — ita enim in vetere codice et quidem recte ei inscriptum fuit — rationem criticam liberaturum esse ab ingruente falsarum coniecturarum mole.

Dat. Regimontii m. Ian. a. 1886.



